

2. *Antiquum* sermonis Latini tempus est, quod à Liuiio vsque ad ætatem Ciceronis interfuit, annorum prope centum. Hoc seculo vixerunt Cato, Ennius, & multi alii summo præditi ingenio viri, qui tamen dicendi genere minime culto & eleganti, sed rudi & inuenusto vsi sunt. Vnde Ouidius de Ennio 2. de Tristibus.

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

Et Cicero in Bruto, *non imitandam, sed explodendam scriptorum illius temporis loquendi rationem adserit.*

3. *Perfectum Latinitatis tempus* fuit ætate Ciceronis & coætatorum ipsius. Distinguenda tamen scripta Ciceronis genuina à supposititiis, vt est Rhetorica ad Herennium Oratio scripta antequam iret in exilium, & similia. Ad hoc tempus pertinet Cæsar, Salustius, Terentius, quibus annumerari etiam possit Plautus, vt is multos dicendi modos antiquos, obtineat, quippe quod seculo antiquo fuerit vicinior. Terentius quoque nonnulla habet, quæ Ciceroni non placent, & dura sunt, vt Catus, dare bibere, duint, pro dederint, plerique omnes, emergo actiue. Sic dicit absente nobis, cedere sermones, promittere, prominari. Plura legantur in Terentio, quem edidit Muretus. Ex huius itaq; seculi auctoribus natium illum puræ & incorruptæ Latinitatis succum & sanguinem merito elicies.

4. *Imperfectum* vero & corruptum Latini sermonis tempus est quod ætatem Ciceronis subsequutum est. Hic vigor ille Romanæ facundiæ, quasi consenescens, ad interitum magis magisque vergebat. Etenim candor ille nitorque puri & casti sermonis in barbariem prope versus à fastigio ad imum, celerius quam ascenderat, properauit, vt conqueritur grauissimus auctor Seneca.

Alii considerantes linguæ Latinæ initia, progressionem & declinationem, secundum ætates eam metiti sunt, videlicet, in *infantiam, iuuenilem & florentem ætatem, virilem, & declinantem ad senium, seu senectutem, ac obitum.*

Infantia ac pueritia linguæ Romanæ fuit tempore prisco ante Terentium, nempe ætate Liuii Andronici, Catonis Censorii, Ennii & similibus. Tum enim sermo Latinus paulo durior & horridior fuit.

Iuuenilis, florens atque vegeta ætas fuit circa tempora Augusti Imperatoris, cum Roma in summo suo flore viguisset. Huius ætatis sunt Terentius, Cicero princeps Latinæ facundiæ, Iulius Cæsar, qui stylum habet suauissimum; Salustius, T. Liuius.

Virilis & ad senium nonnihil declinans, ea est, quæ ab elegantia & nitore sermonis aurei seu seculi Ciceroniani nonnihil deflexit. Qui tamen auctores in magno pretio habendi; Cuiusmodi Seneca, Cornelius Tacitus, quos maximi facit I. Lipsius, Plinius vterque, Aulus Gellius, Cornelius Fronto, Vlpianus, Lactantius. Q. Curtius, Iustinianus Imperator, Aufonius, Apuleius & alii.

Senectus linguæ Latinæ imo obitus eiusdem incidit in tempora Scholasticorum

O 2 rum

*Ætatis
linguæ Latinæ.*

1. *Infantia.*

2. *Iuuenilis & florens ætas.*

3. *Virilis.*

4. *Senectus*